T316.K3

COMOEDIAE

25 —
h 179 80

C. Dziatzko.

[illegible] p. XX [illegible]

[illegible]

Eb. p. XXXVIII f. über d. Krit. Grundlage des Donat [illegible]

[illegible] p. XXXVIII [illegible] Fr. [illegible]

welches ist der Cod. Douzae den er in der Lucil. fragm. aus Donat citirt?

Eb. p. 19 „bei Don. werden nicht numerirte Citate blos mit Lucil. [illegible]"

In [illegible] v. 1. Nov. 1871 No. 32 S. 530 macht Fred. Morgate [illegible]

[illegible] Terenz aufmerksam [illegible]

[illegible] Zugleich wird auf [illegible]

[illegible] comment. in opera Terentii et Virgilii collectanea.

[illegible] erwähnt ms. Pseud. [illegible] cf. [illegible]

p. 283 klagt L. U. über die schlechte Erhaltung d. Lucil. fragm. bei Donat [illegible]

Joh. Schneider, De proverb. Plaut. Ter. que (Berol. 1878) S. 32 bespricht einige Stellen, wo Donat Textesworte als „proverbiale" bezeichnet. Der echte Donat sage immer zuerst „prov. est" und erkläre dann, nicht umgekehrt; daher Don. zu Eun. 268 Andr. 848. 190. Phor. 79 nicht von Donat. D. echte Don. bespricht alle proverbia die Ter. selbst als solche bezeichnet: Andr. 305. 496. Eun. 732. Phor. 419. 506. 768. (And 505 nicht wegen 305). Dann alle die sententiae, die in Graeco sermone sprichwörtlich waren. Diese Sprüche, welche auf einen bestimmten auctor zurückgehn, erkläre er nicht.

Fr. Leo in Rh. Mus. 38 p. 323 beobachtet, im Don. Comm. finde sich eine auffallende Menge regulärer Trimeter.

LL
T316K.3

P. TERENTI

COMOEDIAE

CUM

SCHOLIIS AELI DONATI ET EUGRAPHI
COMMENTARIIS

EDIDIT

REINHOLDUS KLOTZ.

Vol. 1

VOLUMEN PRIMUM

ANDRIAM EUNUCHUM HEAUTONTIMORUMENON
CONTINENS.

83891
30/9/07

LIPSIAE
SUMPTUM FECIT E. B. SCHWICKERT.
1838.

PRAEFATIO.

Quom ego in scholis meis singulas P. Terenti fabulas explicarem, id spectans potissumum, ut auditores, elegantia sermonis Terentiani cognita, qui fuisset communis et cotidianus usus Latinae linguae, penitus intellegerent: eius modi editionem P. Terenti comoediarum desideravi, quae non solum ipsam poetae orationem ex optumorum librorum auctoritate accurate propagatam haberet, verum etiam scholia Aeli Donati, quae et ad exercendam artem criticam bonam ac largam materiem praeberent et explicationis adiumentum non volgare praestarent, una cum commentariis Eugraphi, ex quibus ipsis quoque et criticae arti et interpretationi subsidia parari possent, complecteretur. Itaque quom aliquam diu L. Schopeni, quae promissa fuerat, Terenti eiusque scholiastarum editionem frustra exspectassem, ipse consilium cepi huius modi editionem non magno parabilem adornare.

Quo in consilio exsequendo ita sum versatus, ut in ipsis Terenti fabulis libros potius vetustissumos praestantissumosque a G. Faerno et R. Bentleio excussos quam doctorum hominum coniecturas sequerer: etsi multis in locis, praesertim si quis ad artis metricae regulam singula carmina accuratius exigere velit, ne coniecturis quidem carere poterimus. Sed hanc provinciam his curis nec potui suscipere nec volui, lubenterque relinquo iis, qui plus temporis operaeque in his rebus posuerunt, ac spero fore, ut pluribus atque uberioribns subsidiis paratis etiam in hoc genere aliquanto plus proficiat, si quis

ad hanc rem subtilitatem parem cum R. Bentleio, audaciam non parem adferat. Quamquam hic quoque mihi videor non pauca rectius constituisse, quam volgo factum erat. Nam R. Bentleius multis in locis, quom Terenti verba ad regulam suam exigeret, ea quoque mutavit, quae hodie vix potest dubitari quin pronuntiatione potius invanda, quam audacius mutanda sint. Sed de hac re tum commodius dicetur, si toto opere absoluto omnis hos locos singulari disputatione pertractare poterimus. Interea ex notis adscriptis etiam sic intellegi poterit, quem ad modum singulos fere versus pronuntiandos existumem, praesertim quom non nullis in locis R. Bentlei ratio iam ab aliis improbata atque impugnata sit. Aliis autem in locis, in quibus R. Bentleius alias ob caussas aut totos versus subditicios pronuntiaverat aut audacius Terenti verba mutaverat, cur ego librorum scripturam immutatam reliquerim, facile quisque intelleget, quom singulorum eorum locorum non ita obscura sit intellegentia.

Difficilius negotium erat scholia Aeli Donati ita constituere, quem ad modum viderentur ab auctore suo esse profecta. Nam et res dubitari non patitur et L. Schopenus recte iam demonstravit, haec scholia, ut nunc in editionibus volgo feruntur, permultis locis esse confusa et commutata. Editores enim ad suam quisque editionem videntur etiam verba Donati accommodavisse, ordinem adnotationum immutasse, omisisse alia, alia audacius correxisse, ut dubium non sit quin lectio volgata, etsi multis in locis videatur ex libris melioribus correcta atque emendata esse, certo tamen fundamento, in quo nitatur, omnino destituta sit. Nam primum ipsa poetae verba, quae scholiis suis praeposuit Donatus, editores plerique ex suis editionibus potius, quam ex libris Donati videntur constituisse, ita ut alia prorsus immutarent, multa vero etiam, quae ad rem ipsam necessaria non viderentur, omitterent. Quam ob rem lemmata illa, quae vocantur, quem ad modum volgo leguntur, non magnam aut potius nullam in conformandis poetae verbis possunt habere auctoritatem. Deinde etiam ordinem adnotationum, ut dixi, videntur editores contra librorum

auctoritatem immutavisse, ut facilitatem legendi adiuvarent: sed tamen id sine librorum auctoritate fieri non debuit. Nam quom haec scholia vix videantur ab uno Donato profecta esse, sic indicium interpolationis multis locis, ut opinor, satis certum prorsus sublatum est. Tum vero etiam adnotationes non nullae Aeli Donati, quae in vetustioribus editionibus leguntur nec ullam suspicionem interpolationis habent, ex editionibus volgatis exciderunt, quae sine rei detrimento non possunt abesse. Denique editores, praesertim in iis locis, qui ex aliorum scriptis adlati erant, quoniam ibi facilis erat mutatio ex ipsorum scriptorum libris, multa secus, ac leguntur in veteribus editionibus, constituerunt, ut etiam hic, ubi vel certissumum cupimus habere Donati testimonium, volgatae editiones parum fidei atque auctoritatis habeant.

His ego incommodis, quom libros manu scriptos, quibus Aeli Donati scholia continerentur, nunc quidem nancisci non potuissem, sic mederi studui, ut duas editiones antiquissumas, quas ipse usurpare potui, principem unam, quae fertur, sine loco et anno, quae Terentianas fabulas ipsas non exhibet, alteram Venetam anni M.CCCC.LXXXV., quae adiungit etiam Terenti comoedias, quod eae non iam ab editoribus interpolatae esse viderentur, potissumum in describendis Donati scholiis sequerer. Ex his igitur lemmata, quae proposuit scholiasta, anxi et constitui, veterem ordinem adnotationum revocavi, quae neglegentia editorum omissa essent, reprehendi, quae audacius mutata viderentur, ad veterem scripturam reduxi, ita ut haec scholia iam certius testimonium etiam in arte critica exercenda habere videantur. Sed, ut fere fit, ubi viam aliquam novam ingrediare, non nullis in locis mihi videor iam a volgata scriptura, quae ipsa quoque in singulis locis ex libris melioribus emendata esse videtur, non satis recte recessisse: quod ne in tribus, quae restant, fabulis fiat, diligentius cavebo: ne in his duabus noceat, adiunctis tabulis, quae addenda et emendanda continent, satis cautum puto.

Varietatem lectionis in prima fabula diligentissume ex illis, quibus usus sum, veteribus editionibus enotan-

dam curavi, nisi ubi alterutra aperta typographorum menda exhiberet: in ceteris fabulis eos tantum locos notavi, quibus Donati verba ex illis mutaram. Maxume autem dolendum est, quod editio princeps semper, editio Veneta plerumque Graeca verba omisit, ut hic, ubi maxume requirimus, earum fide atque auctoritate niti non queamus.

Sic spero hac Donati editione, etiam si permulta ego quoque corrupta relinquere coactus eram, fundamenta certe novis curis iacta esse, ut aliquando etiam hoc subsidio ad cognoscendas litteras Latinas tutius uti liceat. Denique Eugraphi commentaria, ne quid in hac editione desideraretur, ex editione Lindenbrogi, Excerpta autem Faerniana ad Heautontimorumenon ex R. Bentlei editione adiicienda putavi.

Scripsi Lipsiae die II. ms. Mai. MDCCCXXXVIII.

Cod. Sangall. 800

P. TERENTI AFRI
CARTHAGINIENSIS
VITA,
QUAM A C. SUETONIO TRANQUILLO MUTUATUS EST
AELIUS DONATUS.

Cap. I. P. Terentius Afer, Carthagine natus, servivit Romae Terentio Lucano senatori: a quo ob ingenium et formam non institutus modo liberaliter, sed et mature manu missus est. Quidam captum esse existimant, quod fieri nullo modo potuisse Fenestella docet, quum inter finem secundi belli Punici et initium tertii natus sit et mortuus: nec, si a Numidis aut Gaetulis captus sit, ad ducem Romanum pervenire potuisset, nullo commercio inter Italicos et Afros nisi post deletam Carthaginem coepto.

Hic cum multis nobilibus familiariter vixit, sed maxime cum Scipione Africano et C. Laelio: quibus etiam corporis gratia conciliatus existimatur: quod et ipsum Fenestella arguit, contendens utroque maiorem natu fuisse: quamvis et Cornelius Nepos aequales omnes fuisse tradat et Porcius suspicionem de consuetudine per haec faciat:

Dum lasciviam nobilium et fucosas laudes petit:
Dum Africani voce divina inhiat avidis auribus:
Dum ad Furium se coenitare et Laelium pulcrum putat:

V. 3. Ed. Ven. 1485. *sed mature.*
V. 3. Edd. pr. Ven. *manumissus* om. *est.*
V. 5. Edd. pr. Ven. *in fine.*
V. 5. *Punici* om. ed. pr. Post edd. pr. Venet. *et ante initium tertii natus est.*
V. 10. Edd. pr. Ven. *et cum Laelio.*
V. 12. Edd. pr. Ven. *quamvis Cornelius.* Post eaedem edd. *tradit.*
V. 15. Hos versus reliqui, ut volgo leguntur. Correxit Hareo auctore et Hermanno Fr. Aug. Wolfius ad Suetonium, quem consule Vol. III. p. 41.
V. 17. Edd. pr. Ven. *putat pulchrum.*

Dum se amari ab hisce credit, crebro in Albanum rapi
Ob florem aetatis suae: ipsus sublatis rebus ad summam
Inopiam redactus est.
Itaque e conspectu omnium abiit in Graeciam, in terram ultimam,
Mortuus est in Stymphalo, Arcadiae oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Scripsit comoedias sex: ex quibus primam Andriam quum aedilibus daret, iussus ante Caerio recitare, ad coenantem quum venisset, dictus est initium quidem fabulae, quod erat contemptiore vestitu, subsellio iuxta lectulum residens legisse: post paucos vero versus invitatus, ut accumberet, coenasse una, deinde cetera perrisse non sine magna Caerii admiratione. Et hanc autem et quinque reliquas aequaliter populo probavit: quamvis Volcatius de enumeratione omnium ita scribat:

Sumetur Hecyra sexta ex his fabula.

Eunuchus quidem bis [die] acta est: meruitque pretium, quantum nulla antea cuiusquam comoedia, videlicet octo milia nummum: propterea summa quoque titulo adscribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam praefert principio Menandri.

Non obscura fama est adiutum Terentium in scriptis a Laelio et Scipione, quibuscum familiariter vixit. Eandem ipse auxit: numquam enim, nisi leviter, se tutari conatur, ut in prologo Adelphorum:

Nam quod isti dicunt malevoli, homines nobiles
Hunc adiutare, assidueque una scribere:
Quod illi maledictum vehemens esse existimant,
Eam laudem hic ducit maximam: quum illis placet,
Qui vobis universis et populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quisque tempore usus est sine superbia.

V. 1. Edd. pr. Ven. *ab his.*
V. 2. Edd. pr. Ven. *ad florem.*
V. 4. *in Graeciam* etiam edd. pr. Ven.
V. 12. Ed. pr. *inicio.*
V. 17. *de enumeratione ita scribit* ed. pr. *de Pumeratione ita scribit* ed. Ven.
V. 18. *Sumeretur* ed. pr.
V. 19. *die* om. edd. pr. Venet.
V. 20. *alia* edd. pr. Ven. *videlicet* edd. pr. Venet. Volgo: *id est. summo* edd. pr. Venet.
V. 25. *leniter* edd. pr. Venet.
V. 29. *esse* om. edd. pr. Venet. et volgo.
V. 30. *quod illis* edd. pr. Ven.
V. 31. *vobis* om. ed. pr.

Videtur autem se levius defendisse, quia sciebat Laelio et Scipioni non ingratam esse hanc opinionem: quae tamen magis et usque ad posteriora tempora valuit.

Q. Memmius in oratione pro se ait: *P. Africanus, qui a Terentio personam mutuatus, quae domi luserat ipse, nomine illius in scaenam detulit.* Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Laelium quondam in Puteolano Kalendis Martiis admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur: serius tandem ingressum triclinium dixisse, non saepe in scribendo magis successisse sibi: deinde rogatum, ut scripta illa proferret, pronuntiasse versus, qui sunt in Heautontimorumeno:

Satis pol proterve me Syri promissa huc induxerunt.

Santra Terentium existimat, si modo in scribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione et Laelio uti potuisse, qui tunc adolescentuli fuere, quam C. Sulpicio Gallo, homine docto, et qui consularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum, vel Q. Fabio Labeone et M. Popilio, consulari utroque ac poeta. Ideo ipsum non iuvenes designasse, qui se adiuvisse dicerentur, sed viros, quorum operam et in bello et in otio et in negotio populus sit expertus.

Post editas comoedias nondum quintum atque trigesimum egressus annum, causa evitandae opinionis, quia videbatur aliena pro suis edere, seu percipiendi Graecorum instituta moresque, quos perinde exprimeret in scriptis, egressus urbem est neque amplius rediit. De morte eius Volcatius tradit:

Sed ut Afer sex populo edidit comoedias,
Iter hinc in Asiam fecit. Navim quum semel
Conscendit, visus nunquam est: sic vita vacat.

Q. Cosconius redeuntem a Graecia periisse in mari dicit cum centum et octo fabulis, conversis a Menandro. Ceteri mortuum esse in Arcadiae Stymphalo sive Leucadia tradunt, Cn. Cornelio

---

V. 1. *lenius* ed. pr. *et Laeliorum Scipioni* ed. pr.
V. 7. *Cerio* ed. Ven. *cl. Martii* ed. pr. *Calendas Martii* ed. Ven.
V. 8. *temperius* edd. pr. Venet. Volgo: *temporius.*
V. 13. *Satra* edd. pr. Ven.
V. 15. *fuere. Qu. Sulpicio* ed. pr. *fuere quam sulpitio* ed. Ven.
V. 15. *et qui consularibus* etiam edd. pr. Ven. *Cuius consularibus* MS. Reg. Lindenbr.
V. 17. *Pompilio* edd. pr. Ven.
V. 18. *adiuvasse* edd. pr. Ven.
V. 20. *nondum* om. edd. pr. Ven. *ac* ed. Ven.
V. 23. *urbem* om. edd. pr. Ven.
V. 25. *edidit* edd. pr. Ven. Volgo: *dedit.*
V. 26. *navim ut semel* MS. Danielis.
V. 28. *Qu. consetius* edd. pr. Ven. ut volgo. *Q. Cosconius* Lindenbrogius ex MSS. restituit.
V. 29. *a Menandro* edd. pr. Ven. Lindenbrogius. Volgo: *e Menandro.* Cf. finem huius vitae p. XI. v. 8 sq.
V. 30. *in arcadia stimphali sinu leucadiae* edd. pr. Venet.

Dolabella, M. Fulvio Nobiliore consulibus morbo implicitum acri, dolore ac taedio amissarum sarcinarum, quas in navi praemiserat, ac simul fabularum, quas novas fecerat. Fuisse dicitur mediocri statura, gracili corpore, colore fusco. Reliquit filiam, quae post equiti Romano nupsit. Item hortulos viginti iugerum, via Appia ad Martis villam. Quo magis miror Porcium scribere:

Nil Publius
Scipio profuit, nihil ei Laelius, nil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conducticiam:
Saltem ut esset, quo referret obitum domini servulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis praefert, scribens in Compitalibus:

Terentio non similem dices quempiam.

Volcatius autem non solum Naevio et Plauto et Caecilio, sed Licinio quoque et Atilio postponit. Cicero in Limone hactenus laudat:

Tu quoque, qui solus lecto sermone, Terenti,
Conversum expressumque Latina voce Menandrum
In medio populi sedatis vocibus effers,
Quidquid come loquens, atque omnia dulcia dicens.

Item C. Caesar:

Tu quoque, tu in summis, o dimidiate Menander,
Poneris, et merito, puri sermonis amator,
Lenibus atque utinam scriptis adiuncta foret vis
Comica, ut aequato virtus polleret honore
Cum Graecis, neque in hac despectus parte iaceres,
Unum hoc maceror et doleo tibi deesse, Terenti.

V. 2. *amissarum fabularum* edd. pr. Ven., ut volgo. *amissarum sarcinarum* restituit ex MSS. suis praeter unum omnibus Lindenbrogius.
V. 4. *post* om. edd. pr. Ven.
V. 5. *via Appia* etiam edd. pr. Ven. Apud Suetonium est *in via Appia*.
V. 7. *Scipio nil* edd. pr. Ven. Volgo: *Nihil Publius Scipio.*
V. 8. *nil Furius* ed. Ven. *Nihil Furius* ed. pr. et volgo.
V. 14. *dicens* edd. pr. Ven.
V. 15. *sed Livio* edd. pr. Venet. MS. Reg. Lindenbr.
V. 16. *et Attilio* add. ed. Ven. et recepit apud Suetonium Oudendorpius ex MS. uno et antiquis editionibus. Volgo haec omissa sunt. Conf. A. Gell. *Noct. Attic.* lib. XV. Cap. 24.
V. 20. *in medium nobis* MS. Dan. *atque omnia* legitur apud Suetonium. Volgo et in edd. pr. Ven. *ac omnia.*
V. 21. *Quid quod* ed. pr. *quiddam* MS. Reg. Lindenbr.
V. 22. *Item* om. edd. pr. Ven.
V. 23. *Tu quoque tam submisso dimidiate* ed. pr. *Tu quoque summisso dimidiate* ed. Ven.
V. 27. *despectus* habet etiam ed. Ven. *despecta* ed. pr. MS. Dan. *iaceret* ed. pr.

anthius wohl älter als Don - da seine ~~comm~~ praef. - voransteht.

d. Wort tragoedia cf. Suet. Reiff. p. 5 f.

Haec Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios poetas fuisse scribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidisse Terentius Valgius in Acteone ait:

Hae quae vocantur fabulae, cuiae sunt?
*Non has, qui iura populis end'ibus dabat**
Honore summo affectus fecit fabulas.

Duae ab Apollodoro translatae esse dicuntur comico, Phormio et Hecyra: quattuor reliquae a Menandro. Ex quibus magno successu et pretio stetit Eunuchus fabula: Hecyra saepe exclusa vix acta est.

EUANTHIUS

DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

Initium tragoediae et comoediae a rebus divinis est inchoatum, quibus pro fructibus vota solventes operabantur antiqui. Nam incensis iam altaribus et admoto hirco id genus carminis, quod sacer chorus reddebat Libero patri, tragoedia dicebatur, vel *ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς*, hoc est ab hirco hoste vinearum et a cantilena. Eius ipsius rei apud Virgilium plena fit mentio. Vel quod hirco donabatur eius carminis poeta, vel quod uter eius musti plenus solenne praemium cantoribus fuerat, vel quod ora sua faecibus perlinebant scaenici ante usum personarum ab Aeschylo repertum. Faeces enim dicuntur Graece *τρύγες*. Et his quidem causis tragoediae nomen est inventum. At vero nondum coactis in urbem Atheniensibus, cum Apollini Nomio, vel *ΑΓΥΙΑΘΩ**, id est pastorum vicinorum-

---

V. 3. *Terentius libertus* pro *Terentius Libo* edd. pr. Ven.
V. 4. *Valegius natione* (*nacione* ed. pr.) *ait* edd. pr. Ven.
V. 5. *cuiae sunt* etiam edd. pr. Ven. MS. Dan. Olim legebatur *cuius sunt*. Hinc fecerunt: *cuiu' sunt*.
V. 6. end' ibus dabat*] Sic MSS. Danielis. *recensscentibus dabat* ed. pr. *recensentibus dabat* ed. Ven. et volgo. Alii libri *recensens* habere dicuntur.
V. 7. *summo honore* edd. pr. Ven.

V. 18. *καὶ τῆς ᾠδῆς* om. ed. Ven. ed. pr. Graeca non habet.
V. 25. *vel ΑΓΥΙΑΘΩ* om. edd. pr. Ven.
V. 25. *vicinorumue* edd. pr. Ven. *vicinorum* MSS. Lindenbr.

que praesidi deo, constructis aris in honorem divinae rei circum Atticae vicos, villas, pagos et compita festum carmen solenniter cantarent: orta est comoedia ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς composito nomine, vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod est comessatum ire cantantes. Quod a poetis solenni die, vel amatorie lascivientibus choris comicis non absurdum est. Itaque ut rerum, ita etiam temporum ipsorum coepto ordine tragoedia primo prolata esse cognoscitur. Nam ut ab incultis et feris moribus paulatim perventum est ad mansuetudinem, urbesque sunt conditae, et vita mitior atque otiosior processit: ita res tragicae longe ante comicas inventae. Quamvis autem retro prisca volventibus reperiatur Thespis tragoediae primus inventor: et comoediae veteris pater Eupolis cum Cratino Aristophaneque esse dicatur: Homerus tamen, qui fere omnis poeticae largissimus fons est, etiam his carminibus exempla praebuit, et velut quadam suorum operum lege praescripsit: qui Iliadem instar tragoediae, Odysseam ad imaginem comoediae fecisse monstratur. Nam post illius tale tantumque documentum, ab ingeniosissimis imitatoribus et digesta sunt in ordinem et divisa ea, quae etiam tum temere scribebantur adhuc impolita, atque in ipsis rudimentis haud quaquam, ut postea facta sunt, decora atque levia. At nos ea, quae proprie de tragoedia dicenda sunt, titulo propositi operis instantes, in alia tempora differamus: et de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus est. Postquam demonstrandae originis causa de utriusque generis initio diximus, quod necesse est iam dicemus.

Comoedia fere vetus, ut ipsa quoque olim tragoedia, simplex carmen, quemadmodum iam diximus, fuit, quod chorus circa aras fumantes nunc spatiatus, nunc consistens, nunc revolvens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo una persona substituta est cantoribus, quae respondens alternis choro, locupletavit variavitque rem musicam. Tum altera, tum tertia et ad postremum crescente nu-

---

V. 2. festum carmen] MS. Dan. *Festivum carmen sollemniter cantaretur, ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς, Comoedia vocitata est, ut opinor, a pagis et cantilena composito nomine vel ἀπὸ τοῦ κωμάζειν etc.*

V. 4. *ἀπὸ τῶν κωμῶν — καὶ ᾄδειν* om. ed. pr. Pro his omnibus ed. Ven. habet: *ἀπὸ τοῦ κωμάζειν*, reliquis omissis.

V. 5. *appõtis* ed. pr. *apponitis* ed. Ven.

V. 10. *et* om. edd. pr. Ven. *otiosa* edd. pr. Ven.

V. 11. *autem* om. edd. pr. Ven.

V. 13. *credatur* edd. pr. Ven.

V. 18. *divisa sunt ea* edd. pr. Ven.

V. 20. *atque lenia adeo ut ea quae propria* edd. pr. Ven. *De titulo* edd. pr. Ven.

V. 22. *operis ue instantis* ed. pr. *operis siue instantis* ed. Ven.

V. 25. *dicamus* edd. pr. Ven.

V. 28. *nunc consistens* om. edd. pr. Ven.

V. 29. *subducta est* edd. pr. Ven. Post verbum *alternis* in edd. pr. Ven. vacuum spatium est, quasi verba Graeca exciderint.

(? aus. brevius ? cf. Möller, l.c. p. 317)

mero, per auctores diversos, personae, pallae, cothurni, socci et ceteri ornatus atque insignia scaenicorum reperta: et ad hoc uni cuique suus habitus: et ad ultimum qui primarum partium, qui secundarum et tertiarum, qui quartarum atque quintarum actores essent, distributa et divisa quinquepartito tota est fabula. Quae tamen in ipsis ortus sui velut quibusdam incunabulis et vixdum incipiens, *ἀρχαία κωμῳδία* et *ἐπονόμαστος* dicta est: *ἀρχαία* idcirco, quia est de nobis parum cognitis vitiis: *ἐπονόμαστος* autem, quia inest in ea velut historica fides verae narrationis et denominatio omnium, de quibus libere describebatur. Etenim per priscos poetas, non ut nunc, penitus ficta argumenta, sed res gestae a civibus palam cum eorum saepe, qui gesserant, nomine decantabantur. Ideo ipsa suo tempore moribus multum profuit civitatis, cum unus quisque caveret, culpa ne spectaculo ceteris esset et domestico probro. Sed cum poetae abuti licentius stilo, et passim laedere ex libidine coepissent plures bonos, ne quisquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata siluere. Et hinc deinde aliud genus fabulae, id est, satira, sumpsit exordium: quae a satiris, quos illotos semper ac petulantes deos scimus esse, vocitata est: etsi aliunde nomen traxisse prave putant alii. Haec, quae satira dicitur, eius modi fuit, ut in ea quamvis duro et veluti agresti ioco, de vitiis civium tamen sine ullo proprii nominis titulo carmen esset. Quod item genus comoediae multis obfuit poetis, cum in suspicionem potentibus civibus venissent, illorum facta descripsisse in peius ac deformasse genus stilo carminis. Quod primo Lucilius novo conscripsit modo, ut poesin inde faceret, id est, unius carminis plures libros. Hoc igitur quo supra diximus modo coacti omittere satiram, aliud genus carminis *τὴν νέαν κωμῳδίαν*, hoc est, novam comoediam, repperere poetae: quae argumento communi magis et generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agunt, pertineret: et minus amaritudinis spectatoribus et eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, consuetudine congrua, utilis sententiis, grata salibus, apta metro.

V. 1. *per actores* edd. pr. Ven.

V. 4. *quartique loci atque quintarum* edd. pr. Ven. *quïnque partita acta est tota fabula* edd. pr. Ven.

V. 7. *ἀρχαία κωμῳδία et EPONOMATOS* MSS. Lind. Volgo: *κωμῳδία ἐτεώνιος* (alii *ἐτεώνυμος*) *καὶ ἀρχαία*. Edd. pr. Ven. Graeca omittunt.

V. 8. *est de* om. edd. pr. Ven. Post eaedem *parumper. EPONOMATOS autem* MSS. Lind. Volgo: *ἐτεώνιος* (*ἐτεώνυμος*) *autem.*

V. 11. *nunc* om. edd. pr. Ven.

V. 14. *ceteris exstitisset* edd. pr. Ven.

V. 16. *quicquam* ed. Ven. *infamie* (*ae* ed. Ven.) *poneret: lata lege sanxerunt* edd. pr. Ven.

V. 21. *agresti modo* edd. pr. Ven.

V. 24. *rescripsisse* edd. pr. Ven.

V. 26. *poesim inde fecisset* edd. pr. Ven.

15 Cum — 27 libros cf. Lucil. ed. L. Müller p. 164, n. 298.

Ut igitur superiores illae suis quaeque celebrantur auctoribus, ita haec *νέα κωμῳδία* cum multorum antea tum praecipue Menandri Terentiique est. De qua cum multa dicenda sint, sat erit tamen velut admonendi lectoris causa, quod de arte comica veterum charactis continetur, exponere.

Comoedia vetus ut ab initio chorus fuit, paulatimque personarum numero in quinque actus processit, ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad novam comoediam sic pervenit, ut in ea non modo non inducatur chorus, sed ne locus quidem ullus iam relinquatur choro. Nam postquam otioso tempore fastidiosior spectator effectus, tunc, cum ad cantores ab actoribus fabula transibat, consurgere et abire coepisset, admonuit poetas primo quidem choros praetermittere, locum eis relinquentes, ut Menander fecit, hac de causa, non ut alii existimant, alia. Postremo ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt comici, unde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile est. Tum etiam Graeci prologos non habent more nostrorum, quos Latini habent. Deinde *θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς*, id est, deos argumentis narrandis machinatos, ceteri Latini instar Graecorum habent: Terentius non habet. Ad hoc *προτατικὰ πρόσωπα*, id est, personas extra argumentum accersitas, non facile ceteri habent: quibus Terentius saepe utitur, ut per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etsi ipsi quoque in metris negligentius egerunt iambici versus, duntaxat in secundo et quarto loco, tamen a Terentio vincuntur resolutione huius metri, quantum potest, comminuti ad imaginem prosae orationis. Tum personarum leges circa habitum, aetatem, officium, partes agendi nemo diligentius Terentio custodivit. Quin etiam solus ausus est in fictis argumentis cum fidem veritatis assequeretur, etiam contra praescripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonae sint, et voluptas per ipsum et causa non desit. Haec cum artificiosissima Terentius fecerit, tum illud est admirandum, quod et morem retinuit, ut comoediam scriberet, et temperavit affectum, ne in tragoediam transiliret. Quod cum aliis rebus minime obtentum et a Planto et ab Afranio et Accio et multis fere magnis comicis invenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quod eius fabulae eo sunt temperamento, ut

---

V. 2. *antehac postea*: *tum* edd. pr. Ven.
V. 4. *quid* edd. pr. Ven.
V. 11. *effectus est* edd. pr. Ven.
V. 11. *ad actores ab auctoribus* edd. pr. Ven.
V. 13. *praetermittere* om. edd. pr. Ven.
V. 14. *existimant. Alii in proscaenio* edd. pr. Ven.
V. 19. *prostatica* edd. pr. Ven.
V. 23. *negligentius usi sunt* edd. pr. Ven.
V. 28. *in fictis argumentis cum* edd. pr. Ven. Volgo: *cum in fictis argumentis.*
V. 34. *et Atta* correxit Neukirchius *de fabula togata Rom.* p. 155.

über Rhinton of Lyd. de mag. I 41.

cf. Suet. Reiff. p. 8

Suet. Reiff. p. 10 adfert Schopeni coni. (a. 1828) adeo cuncta re et. t. recenti ut..
ueb. Liv. Andr. s. Wien. Stud. 13 S. 170 f.

neque extumescant ad tragicam celsitudinem neque abiiciantur ad mimicam vilitatem. Adde, quod nihil abstrusum ab eo ponitur, aut quod ab historicis requirendum sit, quod saepius Plautus facit et eo est obscurior in pluribus locis. Adde, quod argumenti ac stili ita attente memor est, ut nusquam non aut caverit aut curaverit ea, quae obesse potuerunt, tum quod media primis atque postremis ita nexuit, ut nihil additum alteri, sed aptum ex se totum et uno corpore videatur esse compositum. Illud quoque mirabile in eo primo, quod non ita miscet personas quattuor, ut obscura sit earum distinctio. Et item quod nihil ad populum facit actorem velut ex tragoedia loqui, quod vitium Plauti frequentissimum est. Illud etiam inter cetera eius laude dignum videtur, quod locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad scribendum. Nam excepta Hecyra, in qua unius Pamphili amor est, ceterae quinque binos adolescentulos habent. Illud vero tenendum est, post *νέαν κωμῳδίαν* Latinos multa fabularum genera protulisse: ut togatas, a scaenicis atque argumentis Latinis, praetextatas, ab dignitate personarum et Latina historia, Atellanas a civitate Campaniae, ubi actitatae sunt plurimae, Rhinthonicas ab actoris nomine, tabernarias ab humilitate argumenti ei stili, mimos ab diuturna imitatione vilium rerum et levium personarum. Inter tragoediam autem et comoediam cum multa tum in primis hoc distat, quod in comoedia mediocres fortunae hominum, parvi impetus periculaque, laetique sunt exitus actionum. At in tragoedia omnia contraria, ingentes personae, magni timores, exitus funesti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla ultima. In tragoedia contrario ordine res aguntur: tum quod in tragoedia fugienda vita, in comoedia capessenda exprimitur: postremo, quod omnis comoedia de fictis est argumentis, tragoedia saepe ab historica fide petitur. Latinae fabulae primo a Livio Andronico scriptae sunt, adeo ut ad has res etiam tum recentes idem et poeta et actor fabularum suarum fuisset. Comoediae autem motoriae sunt aut statariae aut mistae. Motoriae turbulentae, statariae quietiores, mistae ex utroque actu consistentes. Comoedia per quattuor partes dividitur, prologum, protasin, epitasin, catastrophem. Prologus est velut praefatio quaedam fabulae, in quo solo licet praeter argumentum aliquid ad populum vel ex poetae vel ex ipsius fabulae vel ex actoris commodo loqui. Protasis pri-

---

V. 2. *ad histrionicam. Adde* edd. pr. Ven.
V. 5. *non aut caverit aut curaverit* MS. Danielis. *claudicavit aut erraverit* edd. pr. Ven. Volgo: *non caverit aut curaverit.*
V. 7. *et ex se* edd. pr. Ven.
V. 14. *in qua scribit Pamphili amorem* edd. pr. Ven.
V. 17. *ad dignitatem personarum tragicarum* edd. pr. Ven.
V. 29. *de historica* edd. pr. Ven.
V. 30. *scriptae sunt ad cunctas res* edd. pr. Ven. Post: *recentius.*
V. 34. *prothesim; epithasim: catastrophen* ed. Ven. *protesim, epitasim, catastrophen* edd. pr. et sic infra.

mus est actus initiumque dramatis. Epitasis incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe conversio rerum est ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum.

DE COMOEDIA DONATI, UT VIDETUR, FRAGMENTUM.

Comoedia est fabula diversa instituta continens affectuumque civilium ac privatorum, quibus discitur quid sit in vita utile, quid contra evitandum. Hanc Graeci sic definiere, *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*. Comoediam esse Cicero ait: *imitationem vitae, speculum consuetudinis, imaginem veritatis.* Comoediae autem a more antiquo dictae, quia in vicis huius modi carmina initio agebantur apud Graecos, ut in Italia compitaliciis ludicris, admisto pronuntiationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc est, ab actu vitae hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum, non in aulis regiis, ut sunt personae tragicae. Comoedia vero, quia poema sub imitatione vitae atque morum similitudine compositum est, in gestu et pronuntiatione consistit. Comoediam apud Graecos dubium est quis invenerit primus, apud Latinos certum est. Comoediam et tragoediam togatam primo Livius Andronicus repperit, aitque, *comoediam esse quotidianae vitae speculum*, nec iniuria. Nam ut intenti speculo veritatis lineamenta facile per imagines colligimus, ita lectione comoediae imitationem vitae consuetudinisque non aegerrime animadvertimus. Huius autem originis ratio ab exteris civitatibus moribusque pervenit. Athenienses namque Atticam custodientes elegantiam, cum vellent male viventes notare, in vicos et compita ex omnibus locis laeti alacresque veniebant, ibique cum nominibus singulorum vitam publicabant, unde nomen compositum, ut comoedia vocaretur. Haec autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. Nec deerant praemia,

---

V. 2. *modus erroris* edd. pr. Ven. Hinc ego feci: *nodus.* Volgo: *motus.*

V. 6. *constituta continens affectum* edd. pr. Ven.
V. 7. *qua discitur* edd. pr. Ven.
V. 14. *adtinebatur* MS. Lind., sicut infra quoque.
V. 17. *morum* om. edd. pr. Ven.
V. 19. apud Latinos certum est etc.] Haec ita habentur in edd. pr. Veneta: *apud latinos certum est et comoediam et tragoediam et togatam primo Livium Andronicum repperisse: qui nil etc.*
V. 25. *provenit* edd. pr. Ven.
V. 28. *vitia* edd. pr. Ven.
V. 30. *primitus in pratis* edd. pr. Ven.

cf. Suet. Reiff. p. 10

cf. Suet. Reiff. p. 6

Ein ganz neuer Abschnitt beginnt

quibus ad scribendum doctorum provocarentur ingenia, sed et actoribus munera offerebantur, quo libentius iucundo vocis flexu ad dulcedinem commendationis uterentur. Caper namque pro donis his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur, a quo etiam tragoediae nomen exortum est. Nonnulli autem ex amurca olei faece, quae est humor aquatilis, tragoediam dici vocarique maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris agerentur, etiam ipsi comoediarum tragoediarumque scriptores huius dei, velut patris, numen colere venerarique coeperunt. Cuius rei probabilis ratio exstitit. Ita enim carmina inchoata proferebantur, ut per ea laudes eius et facta gloriosa celebrari proferrique constaret, tum paulatim fama huius artis increbuit. Thespis autem primus haec scripta in omnium notitiam protulit. Postea Aeschylus secutus exemplum publicavit: de quibus ita Horatius in Arte poetica loquitur:

Ignotum tragicae genus invenisse Camenae
Dicitur et plaustris vexisse poemata Thespis,
Quae canerent, agerentque peruncti faecibus ora.
Post hunc personae, pallaeque repertor honestae
Aeschylus et modicis instravit pulpita tignis
Et docuit magnumque loqui nitique cothurno.
Successit vetus his comoedia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas excidit et vim
Dignam lege regi. Lex est accepta: chorusque
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.
Nil intentatum nostri liquere poetae:
Nec minimum meruere decus, vestigia Graeca
Ausi deserere et celebrare domestica facta,
Vel qui praetextas vel qui docuere togatas.

Fabula generale nomen est: eius duae primae partes sunt, tragoedia et comoedia. Si Latina argumentatio sit, praetextata dicitur. Comoedia autem multas species habet. Aut enim palliata est aut togata aut tabernaria aut Atellana aut mimus aut Rhinthonica aut planipedia. Planipedia autem dicta ob humilitatem argumenti eius ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut socco utuntur in scaena aut pulpito, sed plano pede: vel ideo quod non ea negotia continet, quae personarum in turribus aut in coenaculis habitantium sunt, sed in plano et humili loco. Personati primi egisse dicuntur comoediam Cincius et Faliscus: tragoediam Minutius et Prothonius. Omnium autem comoediarum scripta ex quattuor rebus omnino sumuntur: nomine, loco, facto, eventu. Nomine, ut Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, ut Andria, Leucadia, Brun-

V. 3. *pro dono is* ed. pr. *pro dono his* ed. Ven.
V. 13. *prioris exemplum* edd. pr. Ven.
V. 38. *feliscus* ed. Ven. *Prothonius* edd. pr. Ven. *Prothimus* MS. Lindenbr.

dusina. Facto, ut Eunuchus, Asinaria, Captivi. Eventu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comoediarum formae sunt tres, palliatae, Graecum habitum referentes, quas nonnulli tabernarias vocant: togatae iuxta formam personarum habitum togarum desiderantes: Atellanae salibus et iocis compositae, quae in se non habent nisi vetustam elegantiam. Comoedia autem dividitur in quattuor partes, prologum, protasin, epitasin, catastrophen. Prologus est prima dictio a Graecis dicta *πρόλογος*, id est antecedens veram fabulae compositionem elocutio. Eius species quattuor sunt, *συστατικὸς*, commendaticius, quo fabula vel poeta commendatur, *ἀναφορικὸς*, relativus, quo aut adversario maledicta aut gratiae populo referuntur, *ὑποθετικὸς*, argumentativus, fabulae argumentum exponens, *μικτὸς*, mistus, omnia haec in se continens. Inter prologum et prologium quidam hoc interesse voluerunt, quia prologus est velut praefatio quaedam fabulae, in quo solo scilicet praeter argumentum aliquid ad populum vel ex poetae vel ex ipsius fabulae vel actoris commodo loquitur. Prologium autem est, cum tantum de argumento dicitur. Protasis est primus actus initiumque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi exspectationem tenendam. Epitasis est incrementum processusque turbarum ac totius, ut ita dixerim, nodus erroris. Catastrophe est conversio rerum ad iocundos exitus, patefacta cunctis cognitione gestorum. In plerisque fabulis ipsarum nomina priora ponebantur, quam poetarum, in nonnullis poetarum, quam fabularum. Cuius moris diversitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipsarum nomina pronuntiabantur ante, quam poetae pronuntiaretur, ne aliqua invidia a scribendo deterreri posset. Cum autem per editionem multarum poetae iam esset auctoritas acquisita, rursus priora poetarum nomina proferebantur, ut per ipsorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diversis ludis manifestum est inscribi. Nam ludorum quattuor sunt species, quos curules aediles munere publico curant. Megalenses, magnis dis consecrati, quos Graeci *μεγαλησίους* appel-

---

V. 2. pro *Adelphi* edd. pr. Ven. habent: *crimen.*

V. 3. *referentes* edd. pr. Ven. Volgo: *ferentes.* Ceterum de toto hoc loco, in quo nos volgatum ordinem reliquimus, conf. Neukirchium l. l. p. 45 sq.

V. 8. *dicta πρῶτος λόγος* MS. Lindenbr.

V. 11. *ἐπιτιμητικὸς* MS. Lind.

V. 12. *δραματικὸς* MS. Lind.

V. 14. quia prologus — loquitur] Pro his edd. pr. Ven. haec habent tantum: *quia prologus est ubi aut poeta excusatur aut fabula commendatur.*

V. 18. *deducitur* edd. pr. Ven.

V. 18. *primus actus fabulae: quo* edd. pr. Ven.

V. 20. Epitasis est — gestorum] Pro his tantum edd. pr. Veneta: *Epithasis involutio argumenti: cuius elegantia connectitur. Catastrophe explicatio fabulae: per quam eventus eius approbatur.*

V. 25. *pronuntiaretur* edd. pr. Ven. Volgo: *pronuntiarentur.* Post: *posset* edd. pr. Ven. Volgo: *possent.*

O. Ribb. zieht Fg. com. die Form Brundisinae vor.
Crimea schopen (cf. Ribbeck Fg. com. lat.² p. 171)

frg. inc. sed. CDX (Mein. IV p. 313) wo für Ἡλίου wohl Δηλίου zu lesen ist.

[illegible] pileatum

. II 32, 12 porticus (Pompeia) aulaeis nobilis attalicis

lant. Funebres, ad retinendum populum instituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plene instruitur. Plebei, qui pro salute plebis eduntur. Apollinares, Apollini consecrati. In scaena duae arae poni solebant, dextra Liberi, sinistra eius dei, cui ludi fiebant, unde Terentius in Andria ait: *Ex ara hac sume verbenas.*

Hinc Ulyssem palliatum semper inducunt, sive quod aliquando insaniam simulavit, quo tempore tectum se esse voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire, seu ob singularem sapientiam, qua tectus munitusque plurimum sociis profuit. Huius enim virtutis erat animi semper decipientis ingenium. Nonnulli Ithacae incolas, sicut Locros, palliatos fuisse commemorant. Achillis et Neoptolemi personae diademata habent, quamvis regalia sceptra nunquam tenuerint: cuius argumenti probatio talis inducitur, quod nunquam cum reliqua Graeciae iuventute ad gerenda cum Troianis bella sacramenta coniurationis inierunt, nec unquam sub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis senibus candidus vestitus inducitur, quod is antiquissimus fuisse memoratur. Adolescentibus discolor attribuitur. Servi comici amictu exiguo conteguntur, paupertatis antiquae gratia, vel quo expeditiores agant. Parasiti cum intortis palliis veniunt. Laeto vestitus candidus: aerumnoso obsoletus: purpureus diviti: pauperi phoeniceus datur: militi chlamys purpurea: puellae habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varii coloris utitur. Meretrici ob avaritiam luteum datur. Syrmata dicta sunt ab eo, quod trahuntur: quae res ab scaenica luxuria instituta est. Eadem in luctuosis personis incuriam sui per negligentiam significant. Aulaea quoque in scaena intexta sternuntur, quod pictus ornatus erat, ex Attalica regia Romam usque perlatus, pro quibus siparia aetas posterior accepit. Est autem mimicum velum, quod populo obsistit, dum fabularum actus commutantur. Diverbia histriones pronuntiabant. Cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicae factis. Neque enim omnia iisdem modis in uno cantico agebantur, sed saepe mutatis. Ut significant, qui tres numeros in comoediis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huius modi modos faciebant, nomen in principio fabulae et scriptoris et actoris superponebant. Huius modi adeo carmina ad tibias fiebant, ut his auditis, multi ex populo ante discerent, quam fabulam acturi scaenici essent, quam omnino spectatoribus ipsis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus

---

V. 4. *dextera* edd. pr. Ven.
V. 12. *siue Neoptolemi* edd. pr. Ven.
V. 25. *ob scaenicam luxuriam* edd. pr. Ven.
V. 28. *perlatus est* edd. pr. Ven. *supra* ed. Ven. *suppara* ed. pr.
V. 29. *minutum velum* edd. pr. Ven.
V. 30. *De umbra* edd. pr. Ven.

aut imparibus et dextris aut sinistris. Dextrae autem tibiae sua gravitate seriam comoediae dictionem pronuntiabant. Sinistrae et Serranae acuminis levitate iocum in comoedia ostendebant. Ubi autem dextra et sinistra acta fabula inscribebatur, mistim ioco et gravitates denuntiabantur.

V. 2. *seriem dictionemque comoediae* edd. pr. Ven.

LL
T316K.3

83891

Author Terence

Title Comoediae; ed. by Klotz. Vol.1 1

University of Toronto
Library

DO NOT
REMOVE
THE
CARD
FROM
THIS
POCKET

Acme Library Card Pocket
LOWE-MARTIN CO. LIMITED